

A tergo :

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Universis Statibus & Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasдини ex Offo.

(L. S.)

Orig. in Arch. Reg. Croat. Acta Regni Congr. 1738, Nr. 11.

CCXLIV.

Anno 1745. die 1. Aprilis. Viennae.

Instructio Commissariis pro reincorporatione Inferioris Slavoniae constitutis, a Regina Maria Theresia data.

Communis ac ulterior Instructio Commissariorum Nostrorum Regionum, Generalis quippe nostri Baronis ab Engelshoffen, Comitum jtem Alexandri Patachich et Baronis Ladislai Vajai, ad incorporationem Syrmij et inferioris Slavoniae. pro exigentia Articuli 18 et 50. novissimae Diaetae suo modo instituendam, denuo exmissorum.

Siquidem praemisso in negotio Incorporationis ultra ea, quae jam Annis praeteritis clementer resolvimus et Bano Croatiae, nec non praefato Generali nostro ab Engelshoffen die 30. Octobris Anni 1743 et Comiti Patachich, aequae sub die 5. Augusti Anni proxime praeteriti, conformiter ad praecitos 18. et 50. Anni 1741 Articulos, tanquam Basim et fundamentum totius huiusce Incorporationis ulterius quoque benigne insistimus, medio etiam tempore sequentia clementer resolvissimus.

Primo, ut praefati Commissarii nostri Regij post acceptam hanc benignam Instructionem nostram ad Summum intra 14 dies ad faciem loci jterum exeant et pro certo die ac loco, per ipsos cointelligenter designando, simul convenient, et usque finem Corporationis istius in omnibus Militaribus aequae ac Provincialibus simultanee ac communiter agant. Igitur ut primum ad destinatum Locum pervenerint, et simul constituti fuerint, ac de tempore et necessitate fore compererint, ultra jam per Consilium nostrum Aulae Bellicum publicatam novam iterato pro universis praedonibus, prae manibus Judiciarijs nondum existentibus,